





1567

1893

o. XVII, 291.



18  
DISPUTA<sup>o</sup>

TIO DE VERA DEI INVOCATIONE  
M. Guolfgangi Pfenteri Hol-  
ueldensis, pro adeunda licentia, pu-  
blice in celeberrima schola Lip-  
sensi, habita 27. die Ianua-  
rii. Anno salutis

M. D. XLVI.



~ P. pastor in Surothzig

Augustus 1720







**S**UPERIORIBVS DIS-  
putationibus quarum unam de  
fide iustificāte, alteram de bonis  
operibus publice habui, hanc tertiam  
de uera dei inuocatione adiiciendam  
utilissimū fore iudicavi. Cum quod  
hæc inter omnia bona opera prestā-  
tissimū sit, tum quod fides uera sine  
hac languescat ac quasi euanescat, de  
qua ea quæ sequuntur proponi posse  
putamus.

I

Inuocationem dei esse necessariū  
& præcipuū cultum dei in Ecclesia,  
nemo pius uti arbitror negabit. Cū  
satis constet humanum genus ad hoc  
cōditum esse a deo, ut celebret & in-  
uocet creatorem suum.

II

Quoties uero de hac cogitamus,  
tum statim ueniat in mentem, quæ nā

A 2 sic



fit vera inuocatio, quæ ad eam requi-  
runtur, & quomodo fieri debeat vt  
fit efficax.

### III

Est igitur vera oratio siue inuo-  
catio, aliquid a vero deo qui se per  
verbum suū patefecit, firma fide pro-  
pter mediatorem nostrū Iesum Chri-  
stum petere, vel ei ob beneficia no-  
bis in Christo exhibita gratias age-  
re, & toto pectore laudare, et celebra-  
re deum authorem beneficiorum.

### IIII

Ex hac definitione manifesto ap-  
paret, quid intersit inter veram in-  
uocationem quam facit Ecclesia dei,  
& Ethnicam, Mahometicam, & Iu-  
daicam.

### V

Duo sunt discrimina quibus Chri-  
stianorū præcatio a Iudaica Maho-  
metica



metica, & quavis gentili seiungitur.  
Prius est de dei essentia, posterius de  
voluntate patefacta in promissione,  
& filio Christo Iesu mediatore.

## VI

Aberrant Ethnici, Iudei, Maho-  
metistæ, & quicumq; idola colunt, &  
mortuos inuocant, a uera dei essen-  
tia. Cum negant Christum esse fili-  
um dei, in quo pater tantum vult co-  
li, & inuocari. Deinde ignorant an  
deus velit exaudire nostras preces, &  
dum non agnoscunt mediatorem  
Christum, & promissiones semper  
dubitant an deus orationes eorum  
recipiat.

## VII

Talis autem inuocatio, nihil ali-  
ud est quam Ethnicum murmur, &  
inanis βαπλολογία quæ nihil certi de  
deo statuit, nec de eius voluntate, per

A 3 verbū



verbum reuelata aliquid firmi sibi  
persuadet.

### VIII

Nos vero qui Christo Iesu no-  
mina in baptifmate dedimus, oraturi  
feu inuocaturi deum, femper illa ca-  
pita sine quibus nulla vera potest fi-  
eri inuocatio in conspectu habea-  
mus.

### IX

Primū cogitemus quem deū in-  
uocemus, & ad quem deum mens no-  
stra directā sit, non enim vagentur  
animi nostri veluti Ethnicorum, sed  
vt Christus inquit Ioannis. 14. nemo  
venit ad patrem nisi per me. Hunc  
solum verū esse deum statuamus, qui  
se inde vsq; ab initio patefecit Eccle-  
siae suae, tradito suo verbo, & misso  
hoc filio domino nostro Iesu Chri-  
sto mediatore.

Quia



## X

Quia vero plerūq; a vera inuocacione impeditur animus noster dubitatione, quæ mox suboritur cū nostre indignitatis seu poenarū quas nostris peccatis promeruimus, recordamur. Erigenda igitur est mens, & munienda certis scripturæ testimonijs, quæ testentur deum vere exaudire nostros gemitus, & clamores, & vere affici præcibus piorum, nihil impediēte illorum indignitate. Sicuti Christus & apostoli passim in suis cōtionibus abunde docent.

## XI

Fortissimū remedium contra dubitationem, est ipsum præceptum de præcando toties in scriptura repetitum, & inculcatum. Cum igitur dubitas an deus velit inuocari, an curet nostros gemitus, lachrymas, vota,

A 4 præ



præces, propone tibi præcepta.

Cum enim iubeat se inuocari non est inutile murmur oratio. Si te deterret indignitas tua. Cogita quæ esset amentia in coeteris præceptis disputare, nos ideo ~~ut~~ abstinere a furtis aut cedere quia nō sumus digni qui deo obtemperemus. Eiusmodi telo incredulitatem & indignitatem nostram profligemus.

*nolle*

## XII

Et vt magis roboretur animus noster, fidesq; ipsa confirmetur, tum consideratis præceptis, mox quærat piemens promissiones, vt sciat an & cur exaudiat deus nos indignos, & meritos æternas poenas, & tristia supplicia

## XIII

In primis igitur nobis proponamus promissionē de remissione peccatorum, ne hac sententia, quæ verissima

lima



simā est, deus peccatores non exau-  
dit, a vera inuocatione retrahamur.

### XIII.

Concurrunt autem in omni vera  
inuocatione, poenitentia seu contritio  
& fides. Contritione agnoscimus no-  
stram indignitatē, & expauescimus,  
Rursus autem fide in Christum ere-  
cti, accedimus ad deum, Christo tan-  
q̄ sacerdote, nostras præces profe-  
rente in sancta sanctorum.

### XV

Porro apprehensa per fidem in  
Christum remissiōe peccatorum, de-  
inceps promissiones de bonis spiritu-  
alibus & corporalibus ob oculos no-  
bis ponamus, vt petaturi siue coele-  
stia siue terrestria bona, semper intu-  
eamur dei promissionem, vt qui pol-  
licitus sit, se velle nostras petitiones ex-  
audire, & ea quæ petimus elargiri

A S iuxta



iuxta illud Ioan. 16. Amen amen dico vobis, quicquid petieritis patrem in nomine meo dabit vobis.

### XVI

Cum autem promissiones ideo traditæ sint, vt fides accendatur, ideo necesse est, vt in omni inuocatione fides adsit, quæ certo expectet deum daturum, quæ petimus, nisi enim hæc accedat, vacillat & languescit omnis oratio.

### XVII

Cæterum in præcatiōe etiã res petenda, consideranda est. Sunt autem res petendæ, res non prohibitæ mandatis dei. Sicuti. I. Ioan. 5. dicitur, Hæc est fiducia quam habemus erga deum, quod si quid petimus, secundũ voluntatem eius audit nos

### XVIII

Ordo tamen rerum petendarum  
obsero



obseruandus est, primum petamus  
spiritualia bona, quæ deus promisit  
nominatim, se daturum esse, & vult  
sine conditione peti, vtpote remissio-  
nem peccatorum, liberationem ab  
impietate & morte æterna, donatio-  
nem spiritus sancti, & vitæ æternæ:  
Quæ omnia vult deus nobis esse cer-  
tissima, sine vlla conditiõe etiã omni-  
bus corporalibus bonis amissis.  
Quia mandatum dei est immutabile,  
quod præcipit audiri Christum, &  
præcipit vt credamus Euangelio, ac  
certo statuam agentes pœnitentiam,  
recipere se a deo propter Christum.

### XIX

In petitione corporalium bono-  
rum semper addenda est conditio,  
Cum enim nescimus, vt inquit Pau-  
lus, quid petamus. Ideo nostram vo-  
luntatem in omnibus illis petitiõib⁹  
deo



deo resignemus, vt qui optime no-  
rit, quæ nobis commodo, quæue in-  
commodo futura sint. Sicuti præ-  
catur Christum leprofus. Matth. 8.  
Domine si vis potes me mundare.  
&c. Item Christus orat patrem,  
inquiens, Si possibile est transeat a  
me calix iste, veruntamen non mea  
sed tua fiat voluntas.

## XX

Quamuis caro oppressa magnis  
tudine afflictionum, & miseriarum,  
petit liberationem, & reformidat æ-  
rumnas, & mortem, tamen spiritus  
reuocat animum ad obedientiam, &  
petit ac expectat liberationem, nec  
repugnat voluntati dei, sed vult li-  
berari, cum deo placebit.

## XXI

Petitio quæ in hunc modum,  
quemadmodum iam demonstraui-  
mus



mus fit, est efficax, & pertransit, vt  
Iesus Syrach inquit, nubes coelorum  
ac ascendit in conspectum altissimi,  
nec desistit donec dominus respiciat.  
Deus pater domini nostri  
Iesu Christi, accendat ac illuminet  
corda nostra, per spiritum suum sanctum,  
vt illum tali inuocatione & oratione  
semper celebremus ac adoremus,  
gratiasq; pro immensis beneficijs  
suis erga nos perpetuas agamus.  
Cui soli æterno deo, sit laus,  
honor, & gloria in sæcula  
sæculorum  
AMEN.









9  
193469

ULB Halle 3  
004 396 014



Sp.

MC











18

# DISPVTA

TIO DE VERA DEI INVOCA  
tione M. Guolfgangi Pfenteri Holz  
ueldensis, pro adeunda licentia, pu  
blice in celeberrima schola Lip  
fensi, habita 27. die Ianuas  
arij. Anno salutis  
M. D. XLVI.



*2. P. pastor in Purostzig*  
*Augustus 1720*

